

Atqui hoc modo & primus Cœli motus, & hic ipse postre-
mus integro tractui Aereo competunt, à Cœli seu Mundi huius
extimo initium capiendo, & eatenus descendēdo donec ob mol-
litiem & cohærentiam imbecilliozem sensim remittendo, tum
ob virtutem hanc motiuam gradatim versus inferiora cessātem,
tandem omnino Aer inferior dictis motibus non afficiatur.

Post hæc singuli Motus prædicti eorumq; varietates gene-
ratim excutientur.

Nec non Phænomena addentur Motuum insigniora.

Qui item & quo ordine hæc omnia primitus obseruata
videantur, & etiamnum obseruari debeant docebitur.

Quo insuper fundamento sine repetitis in Cœlo obseruati-
onibus Calculus Logisticus hæc omnia definiat.

Quare Hypotheses quasdam pro hoc vsu effinxerint.

Et qui ex falsis seu fictis adeoq; diuersis Hypothesibus Mo-
tus veri eliciantur.

An & quomodo sine labyrinthis huiusmodi rem aggre-
di liceat.

Qui etiam non tantum ob calculi aberrantes Hypotheses,
vel obseruationes ipsas minus iustas, sed ob Motuum item in
Cœlo ipso reuera mutatas leges, annorum peractis seculis Cal-
culus deficere incipiat, nouasq; obseruationes exoptulet.

Et quia cum veterum tum recentiorum non pauci præter
iam dictum localem Cœli Stellarumq; motum, insuper et Phy-
sicos motus & Effectus in Inferioribus singulares Cœlo & Stel-
lis tanquam causis effectricibus tribuant, adeoq; artem inte-
gram quam Astrologiam Manticam dicunt sibi constituent,
ideo & hæc ipsa ex naturæ & experientia legibus examinanda
& decidenda venient: Simulque Stellarum natura intima ali-
quousq; hic determinanda.

Et hac ratione superiori parte seu regione Mundi quam
Ætheream vocitant euoluta, deinceps ad Inferiora seu SubLu-
naria accingemur.

De parte Mundi quæ Stellis subiacet, & Ele- mentaris regio vsitate perhibetur.

Hic primum sese offert pars illa quæ inter Cœlum & Ter-
renum globum interijcitur: de cuius Contiente prius, post de
Contentis eiusdem agendum, vt factum in superioribus.

In Contiente hæc consideranda.

1. Aereum